Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistulae - Cod. Aug. perg. 52

[S.l.], [9. Jh.]

Epistola pape Damasi Urbis Rome ad Hieronimum presbiterum

urn:nbn:de:bsz:31-6736

Visual Library

Dormientem te et longo iam tempore legentem potius quam scribentem quaestiunculis ad te missis
excitare disposui. non quo et legere non debeas. hoc enim veluti cotidiano cibo alitur et pinguescit oratio.
sed quod lectionis fructus sit iste si scribas. Itaque quoniam heri tabellario ad me remisso nullas te iam episto
las habere dixisti. exceptis his quas in heremo aliquando dictaveras. quasque tota aviditate legi atque de
scripsi. et ultro polliceris te furtivis noctium operis aliqua si vellem posse dictare. libenter accipio
ab offerente quod rogare volueram si negasses. neque vero ullam puto digniorem disputationis nostrae
confabulationem fore. quam si de scripturis inter nos sermocinemur. id est ut ego interrogem tu respondeas.
qua vita nihil in hac luce puto iocundius quo animae pabulo omnia mella superantur. Quam dulcia inquit
propheta faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Nam cum idcirco ut ait praecipuus orator homines a bestiis
differamus. quod loqui possumus. qua laude dignus est qui in ea re ceteros superat in qua homines bestias
antecellunt. Accingere igitur et mihi quae subiecta sunt dissere. servans utrobique moderamen ut nec proposi
ta solutionem desiderent nec epistolae brevitatem. Fateor quippe tibi eos libros quos mihi iam pridem
lactantii dederas ideo non libenter legi. quia et plurimae eius epistolae usque ad mille versuum spatia tenduntur.
et raro de nostro dogmate disputant. quo fit ut et legenti fastidium generet et longitudo. et si qua brevia
sunt scolasticis magis sint apta quam nobis. de metris et regionum situ et philosophis disputantes. IN

Quid sibi velit quod in genesi scriptum est. omnis qui occiderit cain septem vindictas exsolvet. IN

Si omnia fecit deus bona valde quare ad noe de mundis et inmundis animalibus praecipit cum inmundum
nihil bonum esse possit. et in novo testamento post visionem quae petro fuerat ostensa dicenti. absit domine
a me quoniam commune et inmundum numquam introivit in os meum et vox de caelo responderit
quod deus mundavit tu ne commune dixeris. IN Cur deus loquitur ad habraam quod quarta progenie
filii israhel essent de terra egypti reversuri. et postea moyses scripsit. quinta autem progenie exierunt
filii israhel de terra egipti. quod utique nisi exponatur videtur esse contrarium. IN Cur habraham fidei suae signum in
circumcisione suscepit. IN Cur isaac vir iustus et deo carus non illi cui voluit sed cui noluit
deceptus errore benedixit.

BEATISSIMO PAPAE DAMASO HIERONIMUS

Postquam epistolam tuae sanctitatis accepi confestim accito notario ut exciperet imperavi. quo ad
officium praeparato quod eram voce prompturus ante mihi cogitatione pingebam. Interim iam et ego
linguam et ille articulum movebamus. Cum subito hebreus intervenit deferens non parva volumina
quae de sinagoga quasi lecturus acceperat. Et ilico habes inquit quod postulaveras. meque dubium et quid
facere nescientem ita festinus exterruit ut omnibus praetermissis ad scribendum transvolarem. quod quidem
usque ad praesens facio. Verum quia heri diacono ad me misso ut tu putas epistolam ut ego sentio commentarium
te expectare dixisti. brevem responsionem ad ea desiderans quae singula magnorum voluminum
digerunt disputationem. IXY ACOI EXOXIACXI. duabus tantum quaestiunculis praetermissis non quo non po
tuerim et ad illas aliquid respondere sed quod ab eloquentissimis viris tertulliano nostro scilicet
et novatiano latino sermone sint editae et si nova voluimus adferre sit latius disputandum.

Certe expecto quid placeat utrum in epistolari brevitate sententias tibi velis digeri. aut singulos libros confici.

Nam et origenes in quarto pauli ad romanos tomo de circumcisione magnifice disputavit. et de
mundis atque inmundis animalibus in levitico plura disseruit ut si ipse invenire nihil possem de
eius tamen fontibus mutuarer. et ut verius loquar didimi de spiritu sancto librum in manibus habeo.